Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26042
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Gervasii et Protasii. corona est duplex. De i. cor.
Duplex corona habetur martiris.
hec notatur. qua coronavit eum dominus.
Prima est glorie. qua ad animam in celo. Se-
cunda est honoris. qua ad reliquias corporis in mun-
do. et celebratione festi huius martiris. Co-
rona ergo glorie anime ei figuratur per coronam mulieris.
que sicut in apocalipsi legitur in capite suo habebat coro-
nam stellarum .xii. Siquidem corona glorie anime ei-
ex .xii. constat gaudiis. quorum .vi. a dextris.
et .vi. a sinistris. Sex itaque gaudia habet a sini-
stris de evasione mali. et .vi. gaudia a dex-
tris. de acceptione boni. Anime ergo sanctorum
quamdiu sunt in corpore. quasi peregrini in carcere. in te-
nebris. in vinculis. et exilio. inter hostes deti-
nentur. Quando ergo egreditur ad vitam. primum gaudi-
um habet de corporis absolutione. quod a sinistris. Ca-
ro enim est carcer anime. Unde psalmista. Educ de carcere a-
nimam meam. Sic corpus suum reputabat carcerem apostolus
scribens ad Romanos. Infelix ego homo. quis me liberabit de
carcere mortis huius. Quia ergo sancti corpus carcerem reputant.
ideo ipsum vigiliis. abstinentiis diruunt. et ma-
cerant. ut citius exeat incarceratus. scilicet scientes quod
exitus eis erit ad liberationem et gloriam. Sed non sic
impii non sic. sed more insanorum carcerem suum
muniunt et roborant. toto nisu curam car-
nis in desideriis facientes. munientes se super-
fluitate cibi. potus. vestis. et sompni. Sed non
mirum. sciunt enim se reos ante dominum et in exitu
suo obscuriori carcere detrudendos. Iuxta
quod dominus ait. Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores.
Secundum gaudium habet de vinculorum ruptione. Vin-
cula quibus ligatur homo in corpore .vii. sunt necessitates
corporis. scilicet fames. sitis. frigus. calor. labor. do-
lor. et ad ultimum mors. Ligavit deus his
vinculis hominem nisi sedit post peccatum. ne se de-
terius faceret. et gulis manus iniceret. Notandum.

Primum gaudium a sinistris.

Secundum.

quam quod liberi istorum custodit homines a peccato. sed peccatore in
sano insaniore. hec vincula pro posse suo disrumpit.
Unde conqueritur dominus per Ieremiam. A seculo confregisti iugum. ru-
pisti vincula mea. scilicet famem et sitim per epulas et
ebrietatem. frigus per vestium nimietatem. calorem
per vestium subtilitatem. laborem et dolorem per quie-
tem et voluptatem. Mortem per medicinas. Ideo
gravioribus vinculis ligabuntur. quando comprehenduntur.
scilicet fame et siti perpetua. frigore et calore intoler-
abili. Quod sic ait Iob. Transibit de aquis nivi-
um ad calorem ignium. Sed quia sancti se pacienter per-
mittunt his vinculis hic ligari. ideo ab ipso domino
solvuntur quando eis dicetur. Solve vincla colli
tui captiva filia Syon. et illud. Non esurient neque sitient
amplius. et cetera. Et ipsi cum gratiarum actione dicent.
Disrupisti domine vincula mea. et cetera. Laqueus contritus est. et cetera.
Tercium gaudium de claritatis visione. Qui enim diu fu-
it in carcere tenebroso. ubi non vidit diem neque lucem.
gaudet. quando utrumque videre potest. Quod sic ait Ecclesiastes.
Dulce lumen et delectabile oculis videre solem.
Sic anima quamdiu est in corpore in tenebris ignorantie
est locata. Nemo scit utrum amore an odio
dignus sit. Item nescimus quomodo trinus deus et unus deus
et homo. Sed anima post exitum a corpore sciet hec omnia.
Unde apostolus ad Corinthios. Videmus nunc per speculum in
enigmate. tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Et Iohannes. Vi-
debimus eum sicuti est. Quartum gaudium de exilii egres-
sione. quod periculosus. penuriosus et horridus est locus. Unde
in Deuteronomio. Invenit eum in terra deserta in loco horroris et cetera. Econtra
celestis patria locus est amenus. fecundus et securus.
Ysaias. Sedebit populus meus in pulcritudine pacis.
in tabernaculis fiducie. in requie opulenta. Quintum
gaudium de hostium insequentium et periculorum evasione.
id est demonum et penarum infernalium. quando dicet anima.
Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima
nostra erepta est de laqueo venantium. et cetera. Iam quando dixit Iohannes. dicet
anima. Venit enim princeps mundi huius et in me non habet.

Ysa.